

habet miniatam Claufulam: *Tak se skonawa zakon nowy A gest wykladu knieze Martina lupacze wnadiegi bozy wiernebo a swatebo muze y s ginymi pocztivymi a mudrymi kniezimi Budiz bobu chwala nawicky wiekuow Amen.* Quasi dicas: *Sic finitur lex nova, et est interpretationis Sacerdotis Martini Lupacii in spe dei fidelis et sancti Viri et cum aliis bonestis et sapientibus Sacerdotibus. Sit Deo laus in secula seculorum Amen.* Accedit Elenchus Epistolarum et Evangeliorum, in quo Lectiones *Vet. Testamenti* per extensum scriptae sunt. Thecis variorum Possessorum incelebrium commendata sunt Nomina.

LXXX.

R. 3301 Codex membraneus lat. Sec. VIII. Folior. 127. f. maj. angusto per duas columnas nitide exaratus, rubricis distinctus, initiorum literis quadratis, e quibus C non rotundatum, sed angulatum est, auro, argento, et coloribus speciosus, et optime servatus continet Sacrosancta IV. D. N. J. C. Evangelia nostrae lectionis cum Adparatu, qui edifferendus est. *Incipit Capitulare Evangeliorum De Anni Circulo.* Ita: *In Natale domini ad sanctam mariam. sec. lucam. k III. in illo tempore exiit edictum a cesare augusto. usque pax hominibus bone uoluntatis. Item ad sanctam anastasiam. secd lucam III k. in illo tempore pastores &c.* Sic semper prima et postrema lectionis evangelicae verba adsignantur.

Pro in natale Innocentium legitur Innocentorum. Festum prius S. Agnae dicitur de passione, alterum de natiuitate. Inter Stationes a Septuagesima occurrunt: *In pama-chiis, ad lateranis, in uestine, in suxurio, cui feria VI. majoris hebd. additur: quod est in basilica in hierusalem.* Sabbato ante Palmas Statio ad sanctum petrum quando aelimosina datur. Pascha annotinum collocat Noster post dominicam Octauas pasche et 24^{am}. April. Ascensionem Domini *Ascensam* appellat. X. Julii in natale VII. fratrum quatuor Missae ponuntur *uia appia ad sanctum ienuarium, dein uia salaria prima ad aquilonem, secunda ad sanctum alexandrum, denique ad sanctam felicitatem, itidem duae in natale sancti laurentii.* XII. Augusti natalis sancti eupli, de quo Baronius in *Not. ad Martyrol.* XV. ejusd. *Sollemnia de pausatione sanctae mariae.* XXIX. Septembr. est *dedicatio ecclesiae sancti archangeli sine addito.* IX. Octobr. *translatio corporis sancte petronelle,* de qua nihil in *Martyrol. Rom.* sed in *Vita Pauli I. P. R.* apud *Ciaconium T. I. col. 533.* legimus: *Idem quoque in Coemeterio antiquo in sepulchro marmoreo inuenit Corpus B. Petronillae — quod argentea capsula inclusum congregato Clero, universoque populo Romano ex uia Appia in Vaticanum detulit &c.* Id *Baronii Annales* ad an. DCCLVIII. referunt, unde recenti memoria in *Capitulare nostrum* cooptatum est. Dominicae Adventus ita numerantur: IV. III. II. I. ante Nat. Domini. Has excipi-

cipiant Evangelia Missarum pro diversis opportunitatibus, quorum Inscriptiones minus obviae: *In commotione gentium. In die belli. Ad uelandam maritatem. In aduentu iudicum*, videlicet legatorum a Principe.

Fol. 11. Beato Papae Damaso Hieronimus. Haec in Evangelia Praefatio, quae incipit: *Novum opus facere me cogis &c.* extat edit. *Vallarsii Opp. Hieron. T. X. col. 659.* cui Textui noster pae-ne ad literam concordat, nisi quod pro: *Ita calamo temperavimus*, saltem aequè bene legat *imperavimus*. Sequitur: *Incipit Prologus Quatuor Evangeliorum*. Nempe, ut edit. *cit. T. VII. col. 1.* Plures fuisse qui Evangelia scripserunt &c. Etiam hic lectio castigata est. Habetur tamen *lignis mobilibus* pro *immobilibus* et fortassis non vane; licet enim *Exod. 25. v. 15.* vectes illi e circulis extrahi prohibebantur, quis tamen neget vectem circulo insertum *mobilem esse?* Mira praeterea inversio: *nequaquam legis umbra succedente evangelii ueritatem seruabant*, pro *nequaquam legis umbram succedente evangelii ueritate seruabant*, quae tamen et ipsa defendi posset, si dicas, Hebraeos illos, postquam in *Jesum* crediderant, denuo vacillasse, et *Matthaei* Evangelio confirmandos fuisse. Denique rectius, ut mihi videtur, Codex: *illud probemio caelo ueniens eructauit*, quam Edita: *in illud prooemium caelo ueniens eructavit*. Ad verba: *Satisque miror Eusebi &c.* manum de pagina sustulit Librari-

us noster; quae enim de solo *Matthaeo* deinceps sequuntur, non erant ad institutum Prologum in omnia IV. Evangelia tradere uolentis. Igitur continuat: *Eusebius Carpiano Fratri In Domino Salutem. Ammonius quidam Alexandrinus &c.* ut edit. *cit. T. X. col. 667.* In hac de graeco uersa Epistola, qua docet *Canonum* suorum *harmonicorum* usum *Eusebius*, ut ut aliquot menda in Codice cubent, duo tamen ad graecum magis exacta sunt: *decem numero* (*δεκα τον δεσμων*) pro *decem numerorum*, et *supputatio per minii* (*δια κινναλαγεως*) *distinctionem pro per lineae distinctionem*. Rectius item: *qualicumque de quatuor Evangeliiis*, quam: *cum quattuor Evangeliiis*. Non autem continuo succedunt *Canones*, sed primo subposititium illud *Monitum: Hieronimus Damaso Papae. Sciendum etiam, ne quis ignarum &c.* ut edit. *T. cit. col. 665.* in quo nihil peculiare, nisi quod noster in fine pro *in perpetuo* ponat *in christo*. Tum: *Incipit Argumentum Secundum Matthaeum*, notum illud e Bibliis glossatis: *Matthaeus ex iudea sicut in ordine primus &c.* Demum: *Incipit Breuiarium Eiusdem*. Intellige *Matthaei*, non *Hieronymi*; multo enim antiquiora, nec ad *Versionem Hieronymianam*, sed *Vulgatam Italicam* adaptata sunt isthaec *Breuiaria* seu *Capitularia*, licet etiam temporis lapsu *Hieronymianae* a Librariis praefigerentur. Agit de iis *Jos. Blanchinus P. I. Evangeliarum Quadrupl. Prolegom. 2. p. 50.* et P. II.

II. p. CDLXXIII. specimen ex Evangelio *Forojul.* exhibet a nostro tamen diversum. Nostrum censet *Capita* 28. quorum primum est: *Natiuitas christi. magi cum muneribus ueniunt. & ioseph ab angelo per uisum admonitus cum puero & matre eius in aegyptum fugit. Infantes interficiuntur. Et ultimum: Passio ihesu & sepultura. & resurrectio eius. itemque mandata & doctrina eius de baptismo. Explicit Breuiarium.* His praemissis tandem sub porticibus pulcre picturatis comparent *Canones Eusebiani.*

Fol. 21. caractere quadro aureo, argenteoque *Incipit Evangelium Secundum Math.* distributum in *Capita* XXVIII. quae respondent memorato *Breuiario*, a linea quadrata miniata incipiunt, in marginibus adstitutam habent harmoniam et in *περικοπας* minores tributa sunt. Eodem modo se habent reliqui *Evangelistae foll. 53. 76. 106.* praeunte uidelicet noto *Argumento*, et *Breuiario*, quod in *Marco* a *Cap. 11.* excidit, Textu tamen integro, in *Luca Capitula* censet XXI. in *Johanne* vero XIV. Lectio rarius ab hodierna differt, et tum cum aliqua *Evangeliarum Blanchiniani* consonat. Ita *Luc. I. 3. adsequito a principio omnibus. Joh. I. 18. Deum nemo uidit unquam, nisi unige-*

nitus filius (superpositum qui est) in sinu patris, ipse enarrauit. &c.

Ad calcem praeclarissimi Codicis Manus pulcra *Sec. XII.* notavit: *Anno ab incarnatione domini nostri ihesu christi mill. XC. IIII. indictione II. dedicata est haec capella IIII. id. Julii a tiemone sanctae iuuauensis ecclesiae archiepiscopo. in honore sanctae & indiuiduae trinitatis. & sanctissime crucis. & sanctae Marię matris domini. & sancti Nycolai confessoris domini. Continentur autem in altari reliquię reconditę, quarum longa deinceps enumeratio. Nihil de hac Dedicacione in Chronico Monasterii *Lunaelac.* unde Codex nobis obtigit, nihil etiam in *vita Thiemonis T. II. Germ. sacrae Hansizii*, nisi quod ad an. supra dictum e Chronographo *Admonensi* notatur: Ecclesiam apud *Halle* ab eo consecratam fuisse. An vero hic *Hallam Salisburgicam*, an Oppidum *Hallstadium* non longe ab *Lunaelacu* distans intelligi oporteat, mihi incertum est.*

LXXXI.

Codex membraneus *Iat. Sec. R. 3307* XII. Folior. 192. f. pulcherrime scriptus, auro vividisque coloribus pro aevi arte picturatus hoc praefert *Δοδεκασιχον:*

Rerum iactura breuis est breuiter peritura.

Non permansura. sic sunt mortalia iura.

Et nil sub sole stabili durabile mole.

Vt patet expresse. quod uiuit desinet esse.

Nec repetet uitam. nisi solus homo quia dignus

Inter